



**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Monitum sextum, non satis est, nihil statuere contra personas, quod statui non potest sine peccato mortali & pœna excommunicationis, sed necesse est, impedire si possis, talia statuta, præsertim si ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)

Ideo coguntur non se tantum alere, & quidem magnificentius multo & sumptuosius (quod illis, si in monasterijs Deo dicati viuerent) sed etiam, vxores, & prolem & famulos: coguntur vestes comparare pro vestiendo corpore & suo & vxorum, & prolis & famulorum non ex vili panno quo in monasterijs serui Dei vtuntur, sed ex pretiosis materijs sericeis & aureis aliunde adductis, coguntur copiosas dotes filiabus assignare; quales non darent filiabus ad vitam monasticam aspirantibus. Hanc ob causam isti, qui religiosi fieri nolunt vel non possunt obstante heresi in Regnis hereticis, coguntur bona immobilia inter sanguine iunctos distribuere & diuidere, ideoque quibus eorum minus possideret, quam haberet, si multi statum religiosum & monasticum amplecterentur, & suas legitimas hereditatis, cognatis & consanguineis relinquerent, vti relinquunt in Regno Poloniae religiosum statum amplexi.

Hoc ipsum incolis Regni Poloniae incommodum accederet, si in eo monasteria non exarent redditibus sufficientibus instructa. Nam ad ea multi nobiles admitti non possent, si in eis, tot ali non possent ob insufficientiam reddituum. Non est ergo adimenda monasterijs potestas, acceptandi illa bona immobilia, quae pij nobiles volunt illis donare, inscribere, vel legare, ad augendam numerum Dei seruorum.

46. At Politicorum permulti aiunt: quid Religiosis cum fundis ac praedijs & more Apostolico, eo quod ab aliis impetrauerint, vitam sustentent. Respondeo. Reducant isti Apostolica tempora, veterum Christianorum charitatem ac liberalitatem, quae tot Episcopatus, tot Canonicorum Collegia, tot Paroecias, tot claustra atque Conuentus Religiosorum excitauit, restituant: tum demum Religiosi libentius, alieno labore paratis frui eligent, quam cum tot litibus atque molestiis suis praedijs excolendis operam dare. Verum cum temporum morumque ratio commutata sit, cum charitatem; liberalitatem, sinceramque pietatem, exquisita ad mundi leges prudentia expunxerit, coguntur Deo dicati homines, ad caelestium curam, rerum quoque ad victum pertinentium laborem adicere, & suis, cum aliunde spei non multum affulgeat, diligentiam adhibere.

47. Quod si in reprehensionem quispiam vocauerit, gaudeant illi se in veterum Christianorum numero esse; suos vero reprehensores Iuliano Apostatae successisse, ille enim cum omni possidendi ius viris Ecclesiasticis eriperet, verba Euangelij in sui sceleris patrociniū adducebat. *Qui non renunciauerit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus.* Testis huius rei grauissimus B. Augustinus Anconitanus lib. de Potest. Eccl. q. 1. art. 8. ad tertium Arg. Idem hereticos Valdenses, idem Wiclefsum impietatis Spiti-

tus egit, vt nimirum bonorum Ecclesiasticorum stabiles possessiones improbarent. Quāobrem anathemate eos percussit Ioannes Pontifex XXII. in tit. de verbor. signific. Optimam huius rationem Syluester item Pontifex Maximus affert in C. Futuram 12. q. 1. *Futuram Ecclesiam in genibus Apostoli prauidebant, ideoque praedia in Iudaea minime sunt adepti, sed praedia tantummodo ad fouendos egentes. At tamen tempore Constantini & demum, vni Religiosissimi non solum possessiones & praedia, quae possederant, sed etiam semetipsos Domino consecrarunt, edificantes basilicas in suis fundis, in Honorem SS. Martyrum, per Ciuitates, ac Monasteria innumera, in quibus eorum Domino seruentium conueniret.*

MONITVM SEXTVM.

48. CVM quid eiusmodi dicitur aut statuitur, contra quempiam mortaliū, quod sine mortalis peccati noxa, & graui excommunicationis poenā exequi nefas, eo in casu, sub poenā peccati, non sufficit a promouendo duntaxat rei exitu abstinere, nisi etiam, si est liberā donatus a Repub. voce (quā Nobiles in Comitibus Prouinciarum, Legati vero districtum etiam in Comitibus Regni gaudent) suam hisce decretis opponat vocem, recuset, ac pro viribus impediat. Id ab omnibus Theologis & Iurisperitis concordī calculo comprobatum est. Et ex his quidem Innocentius a pari & a fortiori Cap. 1. *de his quae sunt a maiori par.* Cap. Hunc secutus est Panormitanus eodem numero 13. qui cum iussit & hanc rem diligenter perpendit, postea sic asserit: *Si quis non vult consentire, debet expresse contradicere, alias inuoluitur poenā & peccato, sicut expresse consentientes secundū Innocentium quod est singulariter notandum.* Ex hoc tamen habes, quod etiam in malē gestis, tacens in Vniuersitate habetur pro consentiente, cum ex officio suo teneatur consulere. Ad hoc l. de atat. §. qui tacuit ff. de interrog. act. hucusque Panormitanus. Ex Theologis vero praecipui cum S. Thoma 22. quaest. 62. art. 7. ad 3. idem confirmant. Praesertim Michaël Salon 2. 2. quaest. 62. art. 7. Contr. 1. Medina, quaest. 7. ad 2. Molina tom. 3. de Iust. d. 732. num. 3. vers. Tertium est Valentia to. 3. d. 5. quaest. 6. p. 3. Vasq. op. Moral. cap. 9. de Rest. §. 1. dub. 1. Sair. in Cl. Reg. l. 10. tract. 2. c. 9. nu. 3. & alij complures. Sed & S. Augustinus non dispat eadem de re, tulit decretum Ep. ad Casulanum, vti videre est in Canone *Quisquis XI. q. 3. Quisquis metu cuiuslibet potestatis, veritatem occultat: iram Dei super se prouocat, quia magis timet hominem quam Deum.* Et in sequenti: *Melius est pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione recipere beneficium.* Neque discrepat S. Chrysostomus, cum in eadem causa & quaestione hūc in modum ait: *Non solum ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem; palam pro veritate mendacium*

mendacium loquitur, sed etiam ille qui non liberè veritatem pronunciat, quam liberè pronunciate oportet, aut qui non liberè veritatem defendit, quam liberè defendere conuenit: proditor est veritatis. Nam, ut communi proverbio receptum est: Qui tacet, consentire videtur: Et S. Paulus Rom. 1. digni sunt morte, non solum qui talia agunt (mala nimirum) sed etiam qui consentiunt facientibus. At illi certè maiore penà censendi, qui licet indirectè, per se vel per alios promouent incepta. Illi demum maximè detestandi, qui seruientes velut Catholici, sub specie ficti ad calicem duntaxat zeli, Ecclesiam defendere velle, Ecclesiasticos, à tot contumeliis vindicare vulgò se iactant, vbi verò ad rem ventum fuerit, tam citò eos deserunt, quantò maiore furore laruàque occultas aduersus eos machinationes contexerant. Egregiè S. Petrus eiusmodi notauit homines; in *Can. Si inimicus dist. 93. Si quis amicus fuerit, (promouendi nimirum vitij causà: non enim politicam vituperio profcindit amicitiam) huiusmodi ipse (id est Petrus vel Petri Successor) amicus non est, vnus est ex illis, qui exterminare Dei Ecclesiam volunt. Et est multò nequior hostis hic, quàm illi qui foris sunt. Et euidenter inimici sunt, (vt heretici) hic enim, (fictus nimirum Catholicus) per amicitiarum speciem, quæ sunt inimica gerit, & Ecclesiam dispergit & vastat. Res profectò lachrymis digna, tales reperiri Catholicos, qui partim in conuiuio, vbi satis gulæ litatum est, partim in comitiis atque Tribunalibus, quasi deesset aliud agendum, maiore contentione, quàm vel ipsi iurati fidei hostes hæretici, iura personalique Ecclesiasticas, insolentiùs persequuntur: & cum maximè deberent Ecclesiam propugnare, tum aut silentio conuiuent, aut apertas etiam struunt insidias. Quod si defensionem sui necessariæ, Ecclesiastici pro viribus incumbant, vt ab ouium suarum lupinis dentibus liberi viuunt, DD. Politici iustam admodum & necessariam defensionem ægrè, ferunt, & acriùs cõtra se, quàm par est agi conueniunt, ignari, culpabile Ecclesiasticorum hac in parte silentium, notã peccati non carere, immò si timidius illatas Deo iniurias, violatum ius Ecclesiasticum eiusque personas, à mordacibus sæcularium linguis vindicarent, non essent immunes à peccato. Nondum tenaci excessit memoriã, grauis illa pœna, quæ deiecto collo, lethali ter à Deo supremus Sacerdos Heli afflictus est, quòd segnius, absque debito zelo, iniuriam Dei, supplicij grauioris omissione vlsceretur: Licet enim de illo dictum sit 1. Reg. 2. Quod redarguerit eos, qui retrahebant homines à Sacrificio Domini (non indirectè, quemadmodum hi, qui dum prouentus ab Ecclesiis arcent, eo ipso, Sacrificiorum maioris momenti, quàm fuerint in veteri testamento, dignitatem restringunt, sed tantùm indirectè prauo exemplo alios à sacrificiis auocando) Nihilominus tamen, quia*

non intensiore cultus Diuini, suis à filiis violati zelo ferebatur, illius redargutionem æquè ac silentium reputabat Deus. Ideo tali damnauit eum Decreto 1. Reg. 3. v. 12. 13. 14. *Suscitato aduersum Heli omnia, quæ locutus sum, super domum eius, incipiam & complebo. Prædixi enim ei, quòd iudicaturus essem domum eius, in æternum propter iniquitatem, eò quòd nouerat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos. Res admirationis plena, quomodo non corripuit Heli filios suos, cum teste Spiritu S. satis acerbe illos redarguerit 1. Reg. 2. v. 23. & 24. Quare facitis res huiusmodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo: Nolite filij mei, non est enim bona fama quam ego audio, vt transgredi faciat populum Domini. Si peccauerit vir in irum, placari potest Deus: Si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Quid vitij hac in redargutione notabis? an non satisfecit patris officio, quod filij paternis monitis non responderint, quid eius intererat: Sed aduertite tamen, quid idem Spiritus S. dicat. Non audierit vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos. Idem continget & eis, qui monitis ac salutari antidoto Spiritualium Patrum obedire recusant.*

His cognitis cuiuslibet in plano est, Ecclesiasticos si à peccato immunes esse volunt, non blandè, & vt aiunt, ore dimidio, vitandæ secularium offensionis causã, sed eã verborum acrimoniã quæ parem causã præferat zelum, debere cultum Dei, & Ecclesiam ab iniuriis vindicare. Illa siquidem admonitio, & blanda redargutio, silentij vices apud eum obitet, qui dixit: *Non corripuit eos.*

Sed iam pœnam, quæ Deus in excessum Sacerdotis animaduertit expectas: grauis illa, idcirco iuravi domui Heli, quòd non expieret iniquitas domus eius victimis, & muneribus, & que in æternum: plenum horroris decretum. Hac igitur de causa non amplius succenseant personæ sæculares Prælati cæterisque Ecclesiasticis, cum illi (sicut id nonnulli etiam togis talaribus vestiti reproberent) omni contentione cultus Diuini, Templorum, Claustrorum, Collegiorum, Parræciarum, Foundationum, Sacellorum, Xenodochiorum, Bursarum atque Scholarum immunitatem promouent, siquidem hæc omnia Ecclesiastica immunitate gaudent, eique sunt incorporata in *l. omnia C. de Episc. & Cler. §. 1. & §. ad hoc d. aurb. de Eccl. tit. & cap. fin. de relig. dom. C. vnic. de excess. pralat. lib. 6. & C. vnic. de relig. dom. eodem lib. 6. Quod ipsum confirmat Abbas ad e. inter dilectos in fin. de don. & Zarabella ad c. quia contingit de relig. dom. demque Archidiaconus, Baldus, Alexander, Felinus, Maynerius, Couaruntas l. 2. c. 20. n. 4. var. resolut.*

MONITVM SEPTIMVM.

54. **E**Xistimo vnumquemque nobilium præstati
 hac generoso animo (qualem Deus Polonæ
 Nobilitati largitus est) conscientiæ suæ arcanis
 introspectis, duce lumine naturali, posthabitis
 omnibus respectibus, Diuinæ Ecclesiasticæ
 que voluntati reluctantibus, agnitorum id,
 quod personæ Orthodoxæ Ecclesiæ nouæ leg-
 is, debeant esse non minùs instructæ, ac mun-
 itæ alimentis, quàm fuerint Spirituales, siue
 Ecclesiastici Veteris Testamenti. Noua enim
 lex, & est perfectior, vtiliorque hominibus, &
 Sacerdotes illius sunt nobiliores vtilioresque
 animabus &c. Quod Catholicis (quorum gra-
 tiâ id scribitur) probandum non videtur, cum
 idem omnes sapiant, idem dicant.

Videamus igitur quàm multæ fuerint per-
 sonæ Spirituales veteris testamenti, & quos
 prouentus habuerint: longè meliores quàm
 Spirituales in hoc Regno nostro. Quod ut me-
 liùs intelligatur duo imprimis sunt demon-
 stranda.

55. *Primum*, quàm multæ fuerint personæ Spiritu-
 ales in Iudæa: deinde, quanta magnitudinis
 illorum terra fuerit.

Quoad numerum personarum Spiritua-
 lium in Iudæa: longè plures erant quàm in
 omnibus Ecclesiis, & Monasteriis, & Aulis
 Catholicorum ad Prouincias Regni Poloniæ
 pertinentibus. Quod sic planum facio.

56. Veteris testamenti Ecclesiastici de tribu Leui,
 habuerunt duplicia ministeria. Alij erant pro-
 priè Sacerdotes, quorum vnus ceteris superior
 erat Summus Pontifex, sicut apud nos est Pa-
 pa: Alij fuerunt Leuitæ, qui Sacerdotibus & ta-
 bernaculo Domini in variis officiis ministra-
 bant: vt sunt apud nos Diaconi, Subdiaconi; &
 alij inferiores Clerici.

57. Sacerdotes tempore Dauidis Regis fuerunt
 diuisi in 24. partes. 1. Paral. 24. v. 6. & seqq.

Leuitæ, idque non omnes, sed isti tantùm
 qui ætate superauerant annos triginta, diuisi
 erant in quinque ministeria domus Domini, &
 inuenta sunt triginta octo millia virorum 1.
 Paral. 23. v. 3. Ex his electi sunt & distributi in
 ministerium domus Domini, qui immediatè
 Sacerdotibus ministrabant, vt apud nos Dia-
 cono: Horum fuerunt 24. millia 1. Paral. 23. v. 4.
 secundi erant Præpositi & Iudices, quorum
 erant sex millia 1. Paral. 23. v. 4. tertij erant Iani-
 tores, numero 4. mille 1. Paral. 23. v. 5. Quarti
 erant Musici, seu Psalteria canentes Domino in
 organo quæ fecerant ad canendum 1. Paral. 23. v. 5.
 Quinta pars eorum erant Thesaurarij, vel the-
 saurorum Ecclesiasticorum custodes, de qui-
 bus 1. Paral. 26. v. 20. & seqq. Sexti, qui docebāt,
 seu erudiebant cantum Domini; cuncti Doctores du-
 centi octoginta octo 1. Paral. 25. 7. Præterea Can-

toribus, Dauid annumerauit (ab illis tantem di-
 uersos Ministros Ecclesiæ) Nathinæos, de qui-
 bus 1. Paral. 9. v. 2. 1. Esdr. 8. v. 20. & antea quo-
 que Ios. 9. v. 23. Ex his classibus Ecclesiastica-
 rum personarum, quælibet illarum diuisa erat
 in 24. partes, vt facer textus declarat 1. Paral. 24.
 à v. 7. ad 19. & cap. 25. à v. 9. ad finem & cap. 26.
 Præter hos Leuitas seniores & sacerdotes, e-
 rant alij iuniores à viginti annis & supra 1. Pa-
 ral. 23. v. 24.

Erant præter hos alij Nazaræi Num. 6. v. 12.
 Iud. 13. v. 7. sicut Religiosi apud nos: quorum
 foundationes Deus annumerat magnis benefi-
 ciis quæ fecerat populo suo, Amos. 2. v. 11. præ-
 ter hos alij erant Rechabite, Religiosis etiam
 similes, à Domino Deo approbati, quauis
 non ab eo constituti Ierem. 35.

Præter istos erant Prophete varij: hæc, e-
 rant Scribæ siue Doctores Sacræ Scripturæ
 interpretes. Erant Pharisei ab illis diuersi Luc.
 7. v. 30. Matth. 23. v. 13. Quorum Pharisæorum
 viuendi modus & doctrina ab initio erat bo-
 na, quam obrem S. Paulus fuisse Pharisæus per-
 hibetur Act. 23. v. 6. & huius vocationis memi-
 nit Philip. 3. v. 5. Hi omnes ad hunc veterem
 Clerum pertinebant, vt omitam Exorcistas
 Act. 19. v. 13.

58. Ex his omnibus numerando solos Leuitas
 seniores, præter Sacerdotes & alios Spirituales
 supra nominatos, numerati sunt Leuitæ & in-
 uenta sunt triginta octo millia virorum 1. Paral.
 23. vers. 3. & quia Sacerdotes diuisi erant in 24.
 classes vt dicitur 1. Paral. 24. v. 7. & seqq. si vt
 scribit Iosephus Iudæus lib. 2. con. Appionem
 in qualibet classe erant plures quam quinque
 millia Sacerdotum: & classes erant 24. vt in
 correctis Iosephi libris legit Sigonius lib. 5. de
 Repub. Hebræa cap. 3. tunc tempore Dauidis
 Regis soli Sacerdotes erant plures quam cen-
 tum & viginti millia: & cum Leuitis seniori-
 bus erant plures quam centum quinquaginta
 & octo millia, & si credendum est quibusdam
 præclaris Authoribus qui scribant in qualibet
 classe horum Sacerdotum & Leuitarum quo-
 rum quælibet cohors (cohortes verdè sex erant)
 habuit 24. partes, & in qualibet parte iuxta Iose-
 phum, erant plura quam quinque millia per-
 sonarum, quoniam iste partes erant centum
 quadraginta quatuor, debuerunt (solos tan-
 tum modo Sacerdotes & Leuitas seniores nu-
 merando) omnes spirituales Principales
 plures esse, quam septies centena millia & vi-
 ginti millia. Inueniuntur tam multi in vni-
 uerso Poloniæ Regno Ecclesiastici: minimè.
 59. Videamus nunc quàm exigua & angusta vni-
 uersa terra vt regio fuerit Iudæorum. Id cer-
 tum est, in longitudinem se ulterius non por-
 rexisse, quàm sint Polona miliaria æqualia
 (quorum quodlibet vnâ horâ confici potest)
 sexaginta & septem, vt testatur probatus Au-
 thor